

29 17.641- 17.62

I O. P H I L I P P I  
S L E V O G T I I  
O R A T I O

Quum Magistratum Academiae Ienensis  
tertio iniret, habita

PR. NON. FEBR. M DC XCVIII.

*Accesit*

P R O G R A M M A

1698. 1699. 1753

Occasione nuperorum tumultuum publico nomine  
editum.



I E N A E

---

EX OFFICINA NISIANA.

29- 4.62. 4.62.

IO. PHILIPPI  
SLEVOGTII  
ORATIO

Quam Magnificam Academiam Jenaensem

terribilem habet

et non tam - M. DC. XXVII.

Accessit

PRO ORATIONE

Occasione supradicta facta in hunc modum

editum.



JENAE

EX OFFICINA NISIANA

13 | 12 | 11 | 10 | 9 | 8 | 7 | 6 | 5 | 4 | 3 | 2 | 1





VI regendæ publicæ rei præcepta tradidere, consensu docent, necessariam in ciuitate omni esse religionem; nec diu perdurare, nedum florere posse, quantumuis modicam societatem, quæ cultum numinis exterminet aut non admittat. Quod agnoscere coacti fuere, qui tam profani erant, vt Deum non credere, aut & palam negare, ingenii existimarent nequaquam triuialis. Scilicet satis intelligebant, sublata religione non sincerum virtutis studium, non fidem promissis, non ipsis summis potestatibus securitatem fore. Præcipue vulgum non posse validius flecti & coerceri, quam si aut spe amoris ac gratiæ, aut metu iræ ac vindictæ diuinæ excitetur terreaturque.

1899

Verum enim vero vt semper aliquid noui molitur sæculi genius: ita exorti paucis abhinc

A 2

an.

4,62

annis, qui tam pestiferum esse reipublicæ atheis-  
 mum, vt passim creditur, vereque illum pro im-  
 probi hominis argumento haberi, audacter ne-  
 gatum irent. Ac videri possunt, si rem putemus,  
 non sine specie in hac sententia se insolentius ia-  
 ctare. Neque enim desunt exempla hominum,  
 ipsos inter gentiles, solius honesti amore ac lau-  
 dis cupidine, ac ne existimationi atque auctoritati  
 suæ obstarent vel detraherent, tam innoxie  
 olim viuentium, vt Christianis quoque, atque in  
 his sanctitatem vitæ singularem professis, in op-  
 probrium obiiciantur. Quis magno illo natura-  
 lis historiæ auctore Plinio? quis acerrimo vitio-  
 rum censore, & veri, etiam quum de hostibus  
 Romanorum exponeret, studiosissimo, C. Corne-  
 lio Tacito, temere honestior? At alter tamen,  
 præterquam quod de Deo ambiguus hæsitat, tam  
 confidenter prouidentiam inficiatur, vt rem ridi-  
 culam opinetur, curam rerum humanarum age-  
 re illud quicquid est summum. Tacitum tan-  
 quam Epicureum, male de deis aut nihil sentien-  
 tem, etiam ex laudatoribus illius maximis sunt  
 qui perstringant. Atqui Epicureos notum est,  
 tametsi deos haud negarent, quin colendos quo-  
 que censerent propter perfectionem diuinæ na-  
 tu-  
 tu-

( o )

turæ: nullam in illis procurationem rerum humanarum, quasi nimirum polluerentur tam tristi ac multiplici ministerio, agnouisse. Ne memoremus, operosos in eo esse quosdam, & in his præcipue Anglicanum theologum, Samuelem Parkerum, ut dicis solum gratia, ac ne ipsi malum sibi accerferent, ab Epicureis deos agnitos demonstrarent. De cetero constat ex Seneca & aliis; ut eruditi dudum monuere; licet vulgo pessimus atque infamis haberetur Epicurus, & secta eius flagitiorum magistra diceretur: vere tamen sanctam & rectam fuisse, quam docebat philosophiam. Nec in fœdis corporis voluptatibus summam felicitatem collocasse, qui sapius fame maceraret corpus, itemque aqua & polenta & frusto hordeacei panis contentus, non toto se asse pasci fuerit gloriatus. Qui acerbissimos laterum dolores, atque ex intestinorum vlcibus cruciatus, forti pertulerit animo: tam sine horrore mortis, ut diem, quo extinguebatur, in beatissimis numeraret. Quid de Stagirite dicam, tam præcellenti virtutis magistro, ut in scholis atque academiis, nisi quod nuper admodum exturbari coepit, tot sæculis per vniuersum regnauerit litterarium orbem; quin superiore æuo & suggestus sacros occupauerit, ut libri



bri ad Nicomachum pari cum diuinis litteris religione stupenti plebeculæ enarrantur? Atque hunc tamen doctissimus, quem laudabamus, Parkerus atheum fuisse, multis argumentis contendit.

Sed nec desunt plausibiles, quibus innocentia atheismi commendetur, rationes. Etenim verissimum est, non cogere quemquam illam de Deo, quasi nullus omnino existat, persuasionem, ut solis voluptatibus corporis indulgeat, & quicquid est flagitii, sibi permittat. Ut nec fidem, tamen si iureiurando datam, violare vereatur; nec legibus ullis, nisi qua expedire sibi existimauerit, obsequium præstet. Nam etiamsi nullus diuini numinis respectus habeatur; satis intelligi potest, conuenire homini quædam, quædam non conuenire: illa laudanda, vulgique saltem iudicio honesta atque expetenda; hæc reprehendenda, turpia ac fugienda esse. Nemo etiam, quamuis in negando pertinacissimus, infitias ibit, conseruandi sui causa necessariam esse vitam temperantem ac socialem: plurimum in hominum conuictu momenti habere, ut viri boni ac religiosi conciliemus nobis apud alios opinionem.

Itaque etiam atheus, modo non abnormis de-

ce-

¶ ( o ) ¶

cetero & imprudens fuerit, sui conseruandi causa, utque diu & iucunde vitali hac aura perfruatur, cauebit, ne intemperantia & abusu voluptatum sibi ipsi acceleret extremum malorum omnium, mortem; fugiet modis quibuscunque solitudinem; ac ne alios a se auertat, aut in se concitet, vitabit causas odii omnis ac disfidiorum: multa tandem arte efficere connitetur, ne improbus ac scelestus videatur. Seruabit iurairanda, non Dei ueneratione, quem scire nolle sapientiam putat; nec amore honestatis, quam ex principiis hodiernæ quorundam philosophiæ, pariter humani rem arbitrii statuit: sed solius existimationis suæ & utilitatis cura. Erit placidus, benignus, concordia, iustique ac recti studiosus, instar simiæ omnes imitaturus hominum vere piorum ac proborum actiones, tantum ut eo cautius commodis suis seruiat. Qualem memorat Scipionem Africanum Valerius Maximus, in exemplis simulatæ pietatis referens, nihil eum quidquam negotii publici aut priuati suscepisse, nisi prius in cella Iouis Capitolini fuisset commoratus: ideo & Ioue credebatur genitus.

Quod si alii fuerint, qui ultro facere legibus imperata detrectent, illis compescendis plus videtur

va-



valere pœnarum in republica statutarum metus, quam quas religio a Deo ultore docet expectandas. Hic etenim lento ad vindictam gradu procedit: & innumeri vitam finiunt, in quos licet improbissimos nulla obseruemus ultionis diuinæ exempla. *Aliqui in ipso Capitolio fallunt, ait maior Plinius, ac fulminantem peierant Iouem. Et hos tamen iuuant sua scelera: aut pios illos ac religiosissimos Dei cultores sacra sua pœnis agunt. Tam nihil bona mens iis prodest, vt plerumque patiantur, quæ malos & improbos perferre par erat. Inde illud Satyrici: Exul ab octaua Marius bibit, & fruatur diu Iratis. Quæ res effecit maxime, vt Epicurus, & qui eum sequebantur, omnem negarent prouidentiam: non initia nostri, vt Tacit- verbis utar, non finem, non denique homines diis curæ esse. nam creberrima & tristia in bonos, lata est apud deteriores.* Illud ipsum etiam, quod metus iræ diuinæ non sufficit ad coercendos malos; quia quæ longe absunt, minus animum perterrent, & interea spes blanditur, pœnitentia Deum conciliandi: consensu philosphantium præcipua causa est, cur humanæ in republica pœnæ non possint non requiri. Igitur quem hæ non continebunt in officio, minus continebit diuinæ vindictæ metus.

( o )

tus. Ex quo tandem colligi recte videtur, atheis-  
mum reipublicæ tam noxium non esse, quam  
passim hoc nomine traducitur.

Hæc & alia, non huius iam loci, dicere pro se  
posunt, qui magnam pietatem præferentes, pesti  
generis humani tam periculose patrocinantur.  
Sed ubi excuseris, vana deprehendentur, & indi-  
gna viro erudito ac prudente, nedum boni civis  
laudem quæsituro. Nam ut paucos fuisse con-  
cedam, qui Dei vel existentiam vel providentiam  
negarent, ac nihilominus virtuti serio darent ope-  
ram; nihil indulgerent libidini aut aliis voluptati-  
bus; nemini facerent iniuriam; suum cuique im-  
pertirentur, & tam viri quam civis egregii par-  
tes strenue tuerentur: innumera tamen est eo-  
rum multitudo, qui ubi merum numinis diuini  
sustuleris, pœnis lege humana constitutis nequa-  
quam a delictis arceantur. Quot enim non quo-  
tidie & ubique occurrunt, qui totos se cupiditati-  
bus permittentes, impulsus illarum haud minus  
ac feræ bestię sectantur? Etiam alii, qui sponte  
videri volunt recte facere, ubi indulgere genio,  
ubi consulere suis rebus per inhonesta possunt, id-  
que occulte, aut minore prioris de se opinionis ia-


B

ctu-



Etura: nihil tam turpe, tam foedum dictu factu-  
que erit, quod perpetrare erubescant.

Itaque tametsi non cogit quemquam atheis-  
mus, ut flagitiosus sit & iniustus: illo tamen semel  
admisso, causa tanta amplius non est virtuti o-  
perandi. Nam quæ ratio sola de honestate ac  
turpitudine actionum humanarum, ubi has ad ho-  
minis naturam comparaueris, dictitat, infirmum  
sunt vinculum cupiditatum. Potius reperias  
hodie, qui nihil natura, id est, semota lege diuina,  
moraliter vel bonum vel malum existiment: vn-  
de adhuc pronior in illud, quod & Paulus aposto-  
lus refert, lapsus est: *Edamus, bibamus ac moria-  
mur.* Siue igitur quemque in se, siue ratione a-  
liorum consideres: atheus neutra, quæ inde pro-  
trahuntur, officia pensi faciet. Nam qui in libi-  
dinem Bacchumque & Cererem est procliuior,  
plusque habet belluæ quam hominis: breui volu-  
ptate morbos grauisimos, mortem denique ipsam  
redimet, securus futurorum omnium. Serius o-  
cius e medio tollatur pereatque, sibi perinde erit.  
Quin ubi molestior fuerit hæc vita, siue ob cor-  
poris siue ob animi exulcerati cruciatus: non diu  
requirit manus alienas, sed ipse sibi vim sæuis-  
sime inferet, tanquam singularem prærogatiuam  
hanc



hanc dederit homini natura, vt spontanea morte possit a tædiis ac tormentis omnibus liberari. Quodque mirandum est, illuc dementiæ olim venerunt gentiles, vt imperfectionis humanæ præcipuum hoc solatium habeat Plinius, ne Deum quidem posse omnia. Neque enim posse sibi mortem consciscere, si velit: quod homini datum sit optimum in tantis vitæ pœnis.

Iam expende mihi officia in alios, quamcunque spectes societatem. Non amor sincerus ac fidus inter coniuges, non inter parentes ac liberos, non inter æquales & amicos, nec inter superiores quoscunque & inferiores erit, vbi non cogitabitur Deus, qui sociales nos voluit, & sui potissimum reuerentia arctissimam in hominibus benevolentiam esse coniunctionem. Hinc leuibus ex causis odia, insidiæ, vltiones: tandem extrema facinora in arctissimas necessitudines.

Quisquis mortem, & temporarias, plerumque etiam breuissimas corporis afflictiones, contemnere audebit: quia opinione sua nihil passurus est vltra hanc vitam, nulla humana sanctione & pœna satis comprimetur. Quam paucos in pactis & promissis solum seruatae fidei decus? quos beneficia vel cumularissime accepta? quos



✠ ( o ) ✠

miseria pauperum & infortunatorum, permouebunt, ut quotiens spes est vi aut fraude utilitates suas impune procurandi, non grauisimas iniurias, damna & calamitates aliorum malint, quam sibi quidquam non indulgere? Mala hæc tristitia ac fœda parit atheismus, ubi regnare in republica cœperit: ne dicam, ubi omnis tolletur religio, & nemo credet Deum, nemo, ut aiebat ille, cælum putabit, Iouemque pili faciet. Quod autem diuinarum metus pœnarum solus tam validus non est, ut contineat mortales in officio: ea horum vnice culpa est probrumque. Etenim aut non cogitant plerique de Deo, uti fas ac necesse erat, quamque iustus sit vindex prauæ commissorum; aut de bonitate ac misericordia eiusdem peruersè sentiunt. Apud plurimos præterea vix superficialiam deprehendas numinis notitiam. Inde statui & augeri pœnas necesse est: inde tam crebra grauisimorum exempla suppliciorum. Quod si vere crederent omnes diuinum numen; si semper reputarent, quam sanctum sit iustumque, præsens vbique, cuncta videns, cuncta audiens, cuncta pariter gubernans: sponte omnino boni atque innocentes forent, nullus humanarum pœnarum terror deposceretur. Quare hoc tandem  
fa-

17.6  
¶ ( o ) ¶  
fatendum est, non sufficere humanam potestatem  
ad refrenandos mortalium animos : tamque ar-  
ctum esse ciuilibus societatis vinculum, religionem,  
quam ex aduerso atheismus, vbi inualuerit inua-  
feritque late pectora, detestabilis pernicies est ge-  
neris humani.

Qui itaque regendis aliis praesunt, eo enixius  
curent oportet, vt aditus tanto malo & incremen-  
ta omnia pro virili obstruant. Ipsi quoque, si ve-  
lint sincere amari ac coli, reuerentes se ostendant  
summi numinis ; idque eo magis, quo minus bo-  
ni ab illo expectes, quem plane profani pectoris,  
& utilitate sua metiri cuncta nouisti. Quid ?  
quod exemplum magistratus, vbi manifesto praui-  
uerit subiectis, efficacissimum est ad corrumpen-  
dos animos & euertendam pietatem. Neque ta-  
men simulatorem quemquam volumus : qualis  
Machiauello sufficit ad assequendam hactenus  
prudentialaudem. Plurimum quippe refert, ve-  
ro animo, an ex simulatione agatur. Tanto ma-  
gis illorum vecordia abominanda est, qui vbi ma-  
gnates forte ita se vident gerere, vt parum religio-  
se de Deo ac religione sentire censeantur : ne cre-  
dantur & ipsi prudentialaudem non periti, vltro  
suspectos se impietatis faciunt. Homines certe

B 3

ri



ridicule inepti: quorum tam misera est ambitio, ut vel insanire palam haud vereantur, modo videantur aliquid habere præ vulgo.

Dum hæc dico, & statum nostrorum temporum cum sæculis prioribus comparo: non possum non grauisime dolere, illuc peruenisse effrenem sapiendi licentiam, ut non negare modo Deum, sed vtrum necessaria sit in ciuitate vlla religio, dubitare; quin negantem sententiam publice quidam assertum ire impudentissime ausint. Enimuero tam manifesta vbique diuinæ existentiae argumenta sese produnt, inque oculos & sensus omnes ingerunt, ut qui plura & clariora postulet, ne in hominum quidem numero sit habendus. Abi & principis tui mandata esse infitiare, quæ manu ipsius subsignata sunt: senties magno tuo malo, quantum periculum trahat nouitium illud de omnibus dubitare. Quod si ne dubitare quidem de existentia Dei, tanquam de re vtrauis ex parte æque verisimili, fas est: quis non cohorrescat, reperiri homines, eandem prorsus negantes; hoc est, qui ad tam claram lucem, vi quasi facta comprimant oculos, obstinatoque animo nolint videre, quod vident.

Sed agite, o miseri, quidquid omnes, quidquid omni-

mi-

( o )

mnibus ingenii viribus, omni eruditionis apparatu  
(nam stupidi & rudes, si quid conari velint, sane hel-  
leboro purgandi sunt) quidquid contra naturæ & sa-  
crarum litterarum vocem, contra omnis memoriæ  
exempla & documenta, omnis antiquitatis con-  
sensum potestis: nunquam euincetis, non esse nu-  
men, vnde cuncta & cuncti existamus; non esse pro-  
uidentiam cælestem, rerum hominumque omni-  
um fata moderantem; neque expectandum post  
mortalitatem hanc sanctum seuerumque bene ac  
male factorum iudicium. Quidquid agatis, quid-  
quid moliamini; nunquam efficietis, quin longe  
validiora sint pro contraria sententia argumenta.  
Scrupulos iniicere, & facere hebetioribus, quiue  
perfunctorie rem tractant, & nolunt vel erudiri,  
vel recte vti ratione sua, negotium potestis:  
at nunquam reddent vos illæ argutationes, illa  
sophistarum effugia, coram tremendo Dei iudi-  
cio dignos exultatione. Interim hæc æterna  
genuinæ sapientiæ regula est: etiam in rebus du-  
biis, & vbi vtrinque paria sunt argumentorum  
pondera, eligendam viam tutiorem. Quæ nec no-  
ceat, si falsa sit; & vbi fuerit vera, immensum ha-  
beat emolumentum ac gaudiorum. Qui secus fece-  
rit, & præ tutissimis elegerit manifesto periculo-  
sa;



sa; qui præ innoxiiis ac profuturis amplexus fuerit, quæ nihil habent genuini commodi ac voluptatis: eum profecto in tanta re, quidquid vnquam repertum fuit, aut reperietur imprudentum ac temerariorum hominum, longe stultitia superare, in aperto est. Cui igitur cunque salutis, cui etiam estimationis suæ amor & cura inest: fugiat atheismum vehementissime, cunctosque iuxta, qui factis aut verbis eundem contestantur.

Quo firmiter posito; quoniam est omnino agnoscendum aliquod summum numen, nec vnquam excusari queunt, qui facere id recusant: quoniam agnito numine, ad illius gloriam cuncta ordinari debent, ipsaque societas civilis tanto erit Deo gratior, tanto plus felicitatis, pacisque tum internæ tum externæ sibi polliceri potest, quanto magis ad sinceram, & cui debetur, acceptissimam religionem erit facta: abunde equidem patet, illud ipsum, quod religio firmissimum dicitur vinculum societatis civilis, minimum esse argumentum, eiusdem in republica habendæ tuendæque. Quare valeat Plinianum istud: *Deos curam agere rerum humanarum, pœnasque maleficiis aliquando seras, nunquam autem irritas esse, ex usu vite esse vt credatur.* Non enim hæc credenda sunt

17. 62  
¶ ( o ) ¶  
sunt, aut persuadenda populo, quia sic expedit publice: sed quoniam nunquam reuinci contrarium potest, nimisque periculosum fuerit, fidem differre in diem supremi experimenti.

Sed satis dictum est: & vos iam monendi, *Ciues dilectissimi*, ne vnquam vos patiamini recto a tramite auocari. Cogitabitis, quam temerariae res aleæ sit, non agnouisse, aut quem agnoscas & fatearis, contempsisse Deum, tot nobis pignora suæ diuinitatis & vbique & semper exhibentem. Hic est qui suam in magistratu radiare vult imaginem: qui dat regnantibus, & quotquot horum partes explent, sacrosanctam potestatem, obstringens subiectos nexu, non vi, non argutatione vlla dissoluendo.

Postquam igitur præter ordinem & omnem opinionem meam, contra ea, quæ destinaueram, factum est, vt vestra, *Patres Academiae*, voluntate onus mihi imponeretur, hac imprimis tempestate perquam durum ac molestum: vestrum erit, *Ciues*, vt quod a vobis exigunt parentes, patria, & præclari huius, in quo vestræ & publicæ felicitatis iacturi fundamenta estis, athenei munificentissimi Conseruatores, non inuicti, non reluctantes præstetis. Obsequimini diuinis, obsequimini  
C  
ni

ni a vicaria Dei potestate constitutis legibus, tan-  
que id religiosius, quanto arctius fidem vestram  
iureiurando obligauistis.

RECITATIO LEGVM.

Nihil poscunt a vobis, serenissimi Principes, quod  
non vestram vtilitatem, vestram salutem ac de-  
cus spectet, *Iuvenes florentissimi*. Cur igitur de-  
trectetis obsequi? cur resistendo legibus ac magi-  
stratui ipsimet vos perditum eatis? Quin potius  
centrum hic esse credite circuli vestri, in quo ad  
palmam & gloriam strenue enitamini: curaturi  
pro se quisque, vt perpetuo loquatur de vobis non  
dea illa turbida, vtque Virgilio fama appellatur,  
monstrum horrendum, ingens, cui lumen adem-  
tum, noctu circumstrepens, atque horrifona tuba  
rixas, tumultus & clades nuncians; sed quæ can-  
didis circumuecta alis, vestras laudes, vestra in-  
genii ac virtutum certamina, vestros honores  
longe lateque canat ac prædicet. Tu vero æter-  
num Numen, tam bonum & clemens, quam iu-  
stum potensque; reducas post diram tempestatem  
serenos dies: tu purpureo vere sæuam non anni  
tantum sed ipsius sæculi & Academiæ hiemem

ex-

14. 52

expellas. Serues serenissimos Principes nostros  
perpetuo incolumes & fortunis omnibus præpollen-  
tes: serues inclytum Senatum Academicum, to-  
tamque hanc, & in ea cum primis litterariam ci-  
uitatem; vt securi periculorum, & quæ serium  
pietatis ac virtutis cultum aut tollunt aut impedi-  
unt, corrumpuntque, gaudeamus pace mutua, &  
pacis studia ac studiorum fructus ante oculos as-  
sidue habentes, consilia atque opera, tibi placitu-  
ra, publice priuatimque vtilia meditemur. Tan-  
dem mihi quoque, in cuius humeros tantum o-  
neris deuoluitur, vires ac successus, gratiam auctori-  
tatemque adspira; vt te propitio propitios semper  
ac præstitos habeam vicarios tuæ maiestatis, tu-  
relares Academiae Deos, auxiliantem prudentia at-  
que ope Senatum; amantem mei & obsequiosam  
iuuentutem. Da animum magnum, tædiorum  
omnium, quæ magistratum hunc comitantur,  
contemptorem. Ita faxis ter maximum, ter sa-  
bientissimum, ter benignissimum, & in trini-  
tate vnum verissimumque Numen!

1699

C 2

RE.

4. 62





RECTOR ET SENATUS  
ACADEMIAE IENENSIS.

**S**VBINDE antehac aduersis rebus, ut  
que fieri in multitudine hominum, æ-  
tate lasciuientium, solet, motibus ac  
turbis quasata hæc musarum sedes,  
famaque pariter, qua cum paucis eminentibus, tri-  
stibus ac sæpe auctis in deterius rumoribus, con-  
taminata fuit. Facile etiam credant, quibus mens  
non profana est, præ ceteris in hanc omnigenæ sa-  
pientiæ ac virtutis officinam æternis flagrare odiis  
hostem generis humani: tam variis artibus, tan-  
toque molimine id agentem, ut extinguat lumen  
omne floremque nostrum, & quasi a receptaculo  
ac fomite prauissimorum hominum, a corruptri-  
ce per exempla pessima incautæ iuuentutis, ubi  
præterea nec priuata nec publica liceat securitate  
frui, oculos animosque cunctorum auertat. Sed  
non meminimus, horridiores vnquam turbas a-  
pud nos datas fuisse, ut victa & proculcata omnis  
academica disciplina, ac tantum non extrema im-  
minere viderentur; quam quas paucis abhinc heb-  
domadibus aliqui vestri ordinis concitarunt: tan-

CO-

¶ ( o ) ¶

eo magis abominandas, quod vix auspiciati essemus nouum annum, votis solennibus ac pio gratulationum certamine, non contumeliis & conuiciis, non damnis & hostilibus minis atque incurfionibus exordiendum.

Indignum factu, indignum relatu. Potuisse paucos iuuenes, non iniuria, iustaque indignatione efferatos, sed nescimus quo turbine circumactos, illuc facinoris progredi, vt telis sclopiisque armati, stantibus velut in insidiis, aut tanquam ad permisum spectaculum accurrentibus aliis, in ædes sibi inuisas impetum facerent, nec secus, ac si publici hostis oppugnanda mœnia forent, fulturum lapidumque iactu, inter horrendos displosarum bombardarum sonitus, ferociter grasarentur. Scilicet hac virtute defendenda erat, obtentu libertatis, immodica licentia: vt excusis legibus, & debita maximis Principibus, atque Academico Magistratui, reuerentia, nihil deinceps non ius fasque censeretur audere. Itaque nec satis videbatur, semel defunctum esse tam formidabili experimento: repetebatur altera nocte, & ex successibus longius ituri erant auctores, nisi intercedens vel auctoritas vel consilium quorundam, sufflaminasset destinata.

C 3

Enim-

Enimvero, quam ista res remota sit ab officio hominis, cultum bonæ mentis bonique moris professi, quanto etiam opere diuinis legibus, ac vel solius rationis sanæ dictatis repugnet, omnes intelligitis. Neque ignorare aut illi turbatores poterant, aut vos potestis, longe alia parentes, & cum parentibus cognatos ac patriam exspectare. Sedent domi, & ardentissimis Deo precibus vitam ac salutem vestram commendant, quibus post Deum optimum maximum vitam & educationem, quibus vitæ morisque recti subsidia, id est, præcipuam humanæ felicitatis partem debetis. Vocant cognati, vocat patria, & obsequuturis honores ac præmia, erectis veluti signis, ostentant. Sed quam parum hæc cogitauerint, quam securi sui ipsius fuerint ac futurorum, qui, quæ memorauimus facinora, patrauerunt, nimis manifestum est. Quid respondebunt isti non solis parentibus aut euergetis, sed vindici magistratus ac legum Deo, iuuentæ male actæ seueram posciture rationem: cuius non agnouisse numen, vel agnitum contemtum habuisse, æque exitiosum est.

De cetero quidquid peccauerint homines, sibi infensi; qui ut in alia omnia serio se vertant, optamus monemusque: magno certe solatio nobis est,

17. 62  
¶ ( o ) ¶  
est, superare adhuc numerum meliorum. Qui  
& viuant modeste ac studiose, & inquinari no-  
men suum exorsumque reddi, ingenue condole-  
scant: tam procul ab opprobrio ac pœnis, quam  
longe absunt a contemptu superiorum, & leges  
non libertati suæ, sed enormi licentiæ oppositas  
esse, didicerunt. Haud minori nobis solatio est,  
sine sanguine ac cæde, intra rei tandem reparabi-  
lis damnum, stetisse vim totam, & istum Mæna-  
dum, vt sic loquamur, furorem. Resipiscere  
quoque vltro quosdam, & velle ad frugem redire.  
Quo sane rectius sibi consulunt, subeundo, quas  
publicæ tranquillitatis necessitas, & temperatus  
clementia rigor, pœnas dictauerit, consciumque  
meriti animum exonerando; quam vt metu ac  
fuga agitati perpetuum secum tortorem circum-  
ferant. Interim non cessabunt, quibus hoc a se-  
renissimis Principibus mandatum est, in auctores  
tumultus porro inquirere: ne & illi abeant im-  
puniti, neue vllus posthac spe latendi euadendi-  
que, similia ausit tentare.


Vos autem, *Carissima pectora*, quibus melior  
mens, pacisque & honesti amans sedet, pergite,  
qua cœpistis via, nec ad praua exempla, nisi vt  
auersemini, respicite. Vestra probitas ac mode-  
stia



( o )

stia, vester in studiis ardor ac progressus, tam A-  
cademiam hanc, quam vosmet ipsos perornabunt:  
vt quantumcunque dehonestamenti acceperit ex  
paucorum moribus corruptis, vincat tamen ex  
vestris decoribus laus & claritudo. Neque pa-  
rietur Numen, vt quæ diuini sui nominis gloriæ  
tam sancte dicata est; quæ purioris doctrinæ  
euangelicæ, & veræ sapientiæ ac liberalium arti-  
um luce tam diu præfulsit schola, satanæ præda,  
spolium ac ludibrium fiat. Potius, quod ante-  
hac identidem factum est, validior indies exur-  
get illustriorque: vt constet omnibus, quod de  
vrbe Roma Symmachus prædicat CAELO  
AC SIDERIBVS, hoc est, vt nos interpre-  
tamur, DEO AC PRINCIPIBVS  
SVMMIS, ACADEMIAM IENEN-  
SEM ESSE ACCEPTAM. P. P. Ie-  
næ die XX Februarii M DC XCVIII.





S L H O

Quum M

PR.

Occasione

EX

P I T I I

e Ienensis

CVIII.

4

lico nomine

A.



17.641

17.65

1698

1699

283

29

4.62

4.62

4.62

